

sententiarum recensuero, quæ inquirenti se obtulerunt. Nam quando quæstio instituitur: *An detur Pœnitentia infantum*, quales in præsenti oraculo describuntur recteque illis tribuatur? Affirmat hoc ex Calvinianis inter alios BENEDICTVS ARETIVS, qui in *Problem. Theolog. Loco XXXVII.* p. 214. Ubi de Pœnitentia prius fusi, sed non sine labe errorum egerat, tandem quæstiones quasdam movet, ad eas respondet, & ita scribit in prima mox quæstione: *Jam facile erit respondere ad quæstiones, quæ hic moveri solent, Primum ad quos pertineat ille actus pœnitentia?* Respondemus primum ex Joële ad omnes pertinere. Nam senibus, pueris, Infantibus etiam & sponsis eam prædicare jubet. Deinde affirmat hoc ratio: *Omnes sumus peccatores: Ergo omnes indigemus gratia, quæ impœnitentibus non datur.* Adde, quod Dominus ante diluvium omnibus in genere tempus pœnitentia proposuit 120. annorum, intra quod, cum non pœniteret eos, omnes ad unum perdidit diluvium, sola familia Noë excepta. Ita ARETIVS mentem suam exponit, & infantibus pœnitentiam a Joële præceptam tribuit, & una cum adultis vendicat.

§. II. Ex nostræ Ecclesiæ Doctoribus contra ARETIVM negativam tuetur PHIL. HENR. FRIDLIVS, qui in *Theol. Exeg. ad Joelem Class. IV. Objectionum* ad locum nostrum ita commentatur: *Aretius, ut evincat, etiam ad Infantes poenitentiam pertinere, hunc locum adducit, sed nullo successu.* Joël enim jubet congregari parvulos, non quasi poenitentia sint capaces, sed ut vagitu suo Deum iratum leniant, & Parentes ad preces fundendas magis incitent. Nec aliter alibi idem Theologus optime meritus sententiam suam exponit, nimirum in *Medullæ Theologiae loco de Poenitentia* p. 789. *Ques. 20. An in infantes cadat poenitentia?* Neg. *Quia poenitentia requirit agnitionem peccati & serium de illo dolorem,* sed hec non cadunt in infantes, utpote qui nec dextram nec sinistram norunt *Jon. IV, II. Objic.* ARETIVS I. *Infantes esse pecca-*